



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Avgvstini Valerii, Veronensis Episcopi, De Rhetorica  
Ecclesiastica Libri III. Perqvam Ervditi**

**Valiero, Agostino**

**Coloniae, 1582**

De Ecclesiasticæ Eloquentiæ vtilitate. Cap. II.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69050](#)

L I B E R P R I M V S.

verò neminem; cum, exceptis illis, qui Christum Deum aut prænunciātes, aut cognoscentes, diuino spiritu adiuti, verissimam eius religionem copiosè explicauerūt, eloquens meritò appellari nemo posse. Sunt igitur colligenda & accommodanda quædam præcepta, quæ doceant cælestem ac sanctam eloquentiam: quorum cùm sit magistra, vt est salutarium omnium præceptorum, sponsa Christi sancta mater Ecclesia, Ecclesiasticā Rhetoricam illa constituent. Hanc diuinam potius, quàm humanam, dicendi facultatem, etsi spiritus sanctus sine vlla doctrina & labore interdū solet suggestere, obseruatione tamen sermonum, quibus sancti homines, eodem spiritu afflati, Christiano populo profuerunt, percipi, et in artem redigi posse, nemo negauerit.

De Ecclesiasticæ Eloquentiæ vtilitate.

Cap. II.

V T I L E M dicunt Rethores eloquentiam, quia veritatem tue tur & extollit, quæ ignorantia iudicū, et aduersariorum calumnia depressa succumberet: quod non solum inutile, sed etiam turpe est homini. Addunt, quia salutaria cōfilia proponit, quia debitos honores virtuti tribuit, quia populorum impetus sedat, quia in communi, quotidianaq; vita maximas vtilitates affert. Ecclesiasticam nos eloquentiā non solum vtilem existimamus ad ea, quæ illi dixere, sed ad religionem, quæ nihil melius homini à bonorum omnium largitore Deo tributum est, inducendam, retinendam, propagandā. Ea enim qui sunt ornati, si diuinitus ad nobilissimum illud munus vocati sint; prouincias, regna ad Christum conuertunt,

B 4

bare-

DE RHETORICA ECCLES.

bæreses extinguunt, seditiones sedat, concordia pariunt, leges prescribunt, confirmant, ac etiam imprimunt in animis hominum; ita ut verè sine tyrannide dominentur, & meritò ministri Dei, internuncijs, Angeli, Christi legati appellari possint. quibus nominibus iure nominantur Apostoli, et qui in Apostolico munere dicendi, sine fuga & ostentatione versantur.

Quænam ars sit Rhetorica Ecclesiastica, &  
quale sit officium oratoris.

Cap. III.

**A**RS autem, quæ Ecclesiastica eloquentiam, Christiano populo tam utilem, docet, Rhetorica Ecclesiastica appellatur: quæ est ars sive facultas inueniendi, disponendi, & eloquendi ea, quæ ad salutem animarum pertinent. Oratoris autem Ecclesiastici officium est, veritatem, arcana Dei aperire populo, docere pię & innocenter viuere, errores turpisimos, pestiferas superstitiones, pravaas consuetudines tollere, ad piam, veram, diuinamque sapientiam, Christianam religionem homines compellere, cognitione veritatis, qua nullus est suauior cibus, auditorum animos nutrire. Eius autem hic est finis propositus, persuadendo augerere regnum Dei, lucrari animas Christo, ornare sanctam Ecclesiam, minuere tyrannidem diaboli, animas Christi precioso sanguine redemptas, ad aeternam vitam & beatitudinem excitare. Pluribus verbis eandem ferè rem ex primitibus, officium & finem Ecclesiastici Oratoris explicauimus, vt teneris clericorum ingenij consulceremus. Porro felicitas sive beatitudo,